



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

§. 6. Ecclesia navi similis, quò; & quomodo debeat tendere?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

ventorum, dum eam huc atq; illuc circumfe-
runt, omnium gentium littoribus appulerunt,
peregrinas merces, quacumq; inuenit, inue-
xit. Quid enim tam peregrinum, in terra no-
stra, quam per poenitentiam, remissio pec-
catorum, regnumque calorum?

§. VI.

Ecclesia navi similis, quò, & quomodo
debeat tendere?

Igitur habemus ex hoc sancto Patre, sa-
culum esse mare, tempestates insurgere in
persecutionibus, nauem tutissimam eligi,
si in crucem, cum Christo, ascendamus.
Quò autem tendendum est? quò nauis di-
rigenda? Quo modo, qui nauigant, nauem
ad astra dirigunt, ait Clemens Alexandri-
nus. Neq; monstra hìc marina nobis sunt
metuenda. Virtute crucis pericula omnia
superantur. Quid ergo nos? ait Augustinus.
Ad patriam, quà ituri sumus? per ipsam
mare, sed in ligno Noli timere periculum, lig-
num te portat, quod continet saculum. Ergo
attendite: Hoc mare magnum & spaciosum,
ibi repentiã, quorum non est numerus, anima-
lia pusilla & magna. Noli timere, noli ter-
reri; desidera patriam, intellige peregrinatio-
nem. Illic naues commcabunt. Ecce in eo, quod

Clem. A.
lexandr.
lib. 6.
Strom.
S. Augu-
stin. in
Psalmi. 3.

S s terre-

terrebat, commeabunt: naues natant, & non merguntur. Naues Ecclesias intelligimus: commeant inter tempestates, inter procellas tentationum, inter fluctus sæculi, inter animalia pusilla & magna. Gubernator est Christus in ligno crucis suæ. Illic naues commeabunt. Non timeant naues, non valde attendant, ubi natent, sed a quo gubernentur. Illinc naues commeabunt. Quæsi commeatum reperiunt tristem, quando gubernatorem sentiunt Christum. Commeabunt securè, commeabunt perseveranter, venient ad finem debitum, perducuntur ad terram quietis. In portu tutissimum est nauigare. Ad hunc cæli portum, vt aspiremus ipsi nos fluctus impellunt, quibus, in hac vita, homines jactantur. Quod idem S. Pater alibi docens, ait: *Vniuersus iste mundus, quasi quoddam diluuium est, eò, quòd omnia, quæ in hoc mundo sunt, ad similitudinem aquæ incertis euentibus fluctuando decurrant. Vera autem fides, quæ non transitoria, sed æterna promittit, quasi à quibusdam fluctibus, sic ab huius mundi cupiditate in suprema animum tollit: & portari quidem ab aquis potest; sed mergi omnino non potest: quia ad necessitatem hoc mundo utitur, sed eius desiderijs, per affectum non implicatur.*

S. Augu-
stin. lib.
de sub-
stant. di-
lect. onis.
cap. 7.

tur. Quisquis ergo aterna non credens sola, qua transeunt, appetit: hunc quasi sine navi laborantem in fluctibus impetus aqua decurrentis secum trahit. Qui vero aterna credens, transitoria diligit, hic juxta navem naufragium facit: qui autem aterna bona credit & diligit, hic in navi positus fluctuantis maris undas securus pertransit: quia qui per desiderium fidei navem non transgreditur, iam quodammodo, in fluctibus, terra stabilitatem imitatur. Nunc igitur, quæ & terræ sit stabilitas, quæ securitas, quod emolumentum, aut detrimentum, videamus; de aquæ autem necessitate, utilitate, jucunditate, in hunc similemve modum expensa, quisquis antehac fuit temerarius judex, aut superbus contemptor, posthac dicat:

*Prò dij immortales, in aqua nunquã credidi
Voluptatem inesse tantam!*

C A P V T I X.

Terra, hominis gratia creata, situs, quies, rotunditas, inaequalitas, venustas, & feracitas, laude & admiratione digna.

§. I.

In terra, cõmuni omnium matre, alios invenire, quæ vituperent, alios, quæ laudet. IH-